



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Univerſa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalæ, 1644

Sect. 6. Respondetur aliis argumentis contrariæ ſententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

non potest facere, aut ut non faciat id quod moraliter non potest non facere, tã est ineptum, ac si ab aliquo peteres, ut sine gratia speciali vitet omnia peccata venialia collectiue, quod est tantum moraliter impossibile.

Moralis illa impotentia est Deo indigna.

Quintò, illa moralis impotentia circa unum aliquid, est summa difficultas circa aliquid physice possibile, vel nascitur ex tali difficultate. Hæc autem difficultas vel oritur ex potentia debilitate, vel ex pugna affectuum contrariorum, quorum vnus alium superare non potest. Primum dedecet omnipotentiam Dei, eique planè aduersatur: quippe cui, ut ait supra D. August. *cũta aequaliter subiacent*. Secundum verò dedecet rectitudinẽ diuinã voluntatis, in qua non potest esse contrarietas affectuum, & pugna vnus contra alium, vel affectus aliquis erga creaturas impotenter eam trahens. Estq; omnino Deo indignum Deum aliquid posse, quod tamen non nisi egre & repugnãter possit. Deniq; si impotentia physica circa aliquid ad extra Deum dedecet, neq; potest sine hæresi Deo tribui, ut faretur Granado: dedecet etiam moralis impotentia, quæ circa vnicum actum, vel effectum, partim differt à physica. Plura aduersus hanc opinionem vide apud Delugo tota disputatione 2. de Incarnat. qui tamen p. 25. & tribus sequentibus in illa incidit ex parte, & nihil illi tribuere mihi videtur.

40.

Deus se amat intensiue quantum potest, sed non extensiue.

Ad argumẽta verò Granadi, ommissis aliorum solutionibus, quia nõ mihi planè satisfaciunt, deo breuiter ad primum, duplicem esse perfectionem amoris: intensiuam, & extensiuam: Deum secundum vtriusque se amare infinitè: atque etiam secundum intensiuam amare se necessarid amore tanto, & tam perfecto intensiue, ut magis nõ possit. At non secundum extensiuam. Amor enim Dei ad obiecta non-necessaria (cuiusmodi sunt res omnes creatæ) posset ad plura, magis ac magis extendi. Quod vel ex ipsa doctrina Granadi euidens est. Faretur enim in ijs quæ procedunt in infinitum, ut in productione plurium mundorum, aut plurium individuorum ad gloriã Dei, non facere ipsum quicquid & quantum potest ad suam gloriã, sed posse in infinitum plura & meliora eo quod facit. Quam autem perfectionem ponat in Deo actus contingentes, & quomodo possint à Deo abesse, explicabimus disp. sequenti sect. 4. In forma igitur, distinguo antecedens. Deus se amat amore qui maior esse non potest. Intensiue, cõcedo. Extensiue, nego. Deus enim posset amare se perfectius extensiue quoad obiecta non-necessaria, id est, posset sibi velle plura & plura bona creata in infinitum: ut plures Angelos, & plures homines creare ad suam gloriã, plures beare, plures sibi vnire hypostatice. Et nihilominus Deus se amat perfectissimè simpliciter, quia amor essentialis, quo se amat, cõtinet eminenter perfectissime omnes perfectiones actuum liberorum, qui circa obiecta creata extendi possunt magis ac magis in infinitum. Vnde etiam Deus non crescit in perfectione simpliciter, ex eo quod habet huiusmodi actus liberos: & non

decreset, si non haberet.

Ad primam cõfirmationem Respondeo similiter eum qui se summe amaret existens, non propterea necessarid sibi velle ex non necessarijs quicquid potest, nec quicquid melius esset. Sic Beati qui Deum amant necessarid, quantum possunt cum tali auxilio & concursu diuino, nõ propterea eadem necessitate volut quicquid ad Dei gloriã facere possunt, sed liberè pro nobis orat, & alia multa præstat ad maiore Dei laudẽ, sine morali necessitate. Ad secundam dico, Talis Deum minus amaret extensiue, sed non intensiue, ut patet, exçplo allato de Beatis. Ad tertiam, Respondeo diuinam voluntatem conformari omnino diuino intellectui hoc sensu, quod nihil omnino agit, aut omittit, contra dictamen intellectus diuini. At non alio sensu quem intedit obiectio, quasi faciat semper id quod intellectus iudicat esse melius. Quod ex ipsa doctrina Granadi, & euidenti ratione, est falsum & impossibile in ijs quæ procedunt in infinitum. Optima verò est diuina voluntas, quia continet eminentissimè omnem perfectionem que rucunque actuum virtutis, existentium & possibilium: tamen circa obiecta contingencia non exerceat formaliter omnes actus virtutis, & beneficentia, quos posset exercere, ut ipsimet Granado fatendum est: quia in illis abitur in infinitum.

Ad testimonia Patrum, & D. Thomæ, Respondeo illos partim intelligere quod Deus in omnibus fecerit optimum, quantum debuit, ut expressè asserit S. August. eo ipso loco quod citat Granado. Partim, quod exaggeratorie disputado contra Manichæos: Interdum enim Patres inclinant disputando, ad alterum extremum. Partim velle tantum quod Deus omnia optimè fecerit, & oppositissimè ad finem à se intetum, secundum mensuram & modum quo illum intedit. Partim denique, sed paucos, id asserere sine traditione, & sine alia probatione. Inductio verò quã prosequitur Granado tota sect. 6. est magis cõcionatoria, quam solida & efficax ad probandum intetum.

SECTIO VI.

Respondetur alijs argumẽtis contraria sententia.

Aduersus nostram sententiam plura suo amore cõgerit Sanctorum Patrum testimonia. Didacus Ruis disp. 9. de voluntate Dei sect. 4. & sequentibus. Prius autem supponit sect. 1. n. 4. tanquam certum & extra controversiam, Deum semper velle & facere quod optimum & conuenientissimum est ad consequendum finem efficaciter intetum, sub ea mensura & modo, sub quo efficaciter intetum est finis: velle, inquam, illud optimum necessarid, physica & simplici necessitate, & nõ liberè: ad eò ut oppositum sit simpliciter impossibile. Probat, quoniã alioqui voluntas Dei efficax nõ impleteretur quantum ad substantiam finis intetum, & quantum ad modum & mensuram. Est autem physice necessarium, non figurari voluntatem efficacẽ Dei, nec quantum ad substantiam finis, nec quantum ad modum.

dum & mensuram.

44.

Deus non
semper fa-
cit quod
optimum
est & con-
uenientis-
simum ad
consequen-
dum
finem in-
ternum.

Ergo autem censetur non modò id non esse certum & extra controversiam, sed ne verum quidem aut probabile esse generaliter sumptum, & intellectum de bonitate obiecti antecedente ad diuinam voluntatem efficacem, quo sensu Auctor ille intelligit: & nõ de bonitate consequenti denominariue à voluntate efficaci Dei, quæ in eo consistit, quòd optimum est diuinam voluntatem efficacem semper impleri: optimum, inquam, id est melius præ opposito: nihil enim oppositum debet illi præferri, aut æquiparari. Probatur autem, quia sapientissime diuinæ scientiæ occurrunt multa media prorsus æqualia, & ad finem intentum æquè conducentia, tam quoad substantiam finis, quàm quoad modum & mensuram. Exempli gratia, si cælorum & planetarum cõuersio fieret opposito modo ab occidente in orientem, æquè prodesset fini intento productionis & conseruationis rerum sublunarium, tam quoad eorum substantiam, quàm quoad mensuram & modum perfectionis. Eadè gloria poterat D. Petro tribui per alia auxilia gratiæ prorsus æqualia. Alia minima loco istius plane æqualis, & æquè conducentia ad omnia à Deo in cæta, poterat in fundi corpori huius infantis: & sic de alijs innumeris. Itè licet è duobus medijs in æqualibus Deus eligeret quod minus est, sufficiens tamen, & infallibiliter adsecuturum finem in gradu, & mensura, & modo intento; id satis esset ad implendam efficacem Dei voluntatem. Ergo argumentum Didaci Ruis affumit falsum ad probandum id quod certum esse contendit. Nec prodest illi quod respõdet n. 5. Si plura media habent vim infallibiliter obtinendi finem sub tali mensura & modo: omnia sunt æqualia, quantum ad formalem & præcisam rationem medijs: ac proinde omnia sunt optima negatiue, quia nullum est melius alio: licet vnũ sit alio perfectius quoad suam intrinsecam bonitatem, vel aliam bonitatem accidentalem. Non prodest inquam, quia sunt adhuc in æqualia in ratione medijs si vnũ alio conduciibilis est ad finem consequendum, faciliusque aut commodius assequitur. Vt, licet quis pedibus ire possit Parisios: mediũ tamen melius & conduciibilis ac facilius est ire vel equo, vel rheda. Addo, quando medium suauitate conducit ad finem, & entitatem habet meliorem; melius quàm conducere: ac proinde esse melius in ratione medijs. Exempli gratia, herbarum curantes morbos vi sua naturali, melius curant, quòd meliores habent vires naturales, cæteris paribus.

45.

Neque id
quod in
ordine ad
vniuersita-
tem rerum
est simpli-
citer opti-
mum.

Secundò docet sect. 3. n. 7. Deum semper atque infallibiliter velle illud bonum, quod in ordine ad vniuersitatem rerum est simpliciter optimum. Et quamuis illius electio sit physica & absolute libera; nihilominus esse infallibilem & moraliter necessariam, quæ necessitas est secundum quid, & non simpliciter. Ad quod probandum adducit primò multa Patrum testimonia tota sect. 4. quorum aliqua dicunt tantum Deum fecisse omnia quæ fe-

est, valde bona: ex quo nõ sequitur nihil melius facere potuisse. Huiusmodi sunt quæ refert ex D. August. lib. 3. de Genesi ad literam c. 24. & lib. 4. c. 16. & lib. 1. de Genesi contra Manichæos c. 21. & lib. 13. confession. c. 28. Damasceno in dialogo contra Manichæos, & Basilio homil. 9. Hexameron. Alia solũ dicunt Deum creasse hominem optimum secundum mentem, ideoquè liberum illũ fecisse, & membra corporis in suis aptissime disposuisse ac cõuenientissime ad fines suos: id què fuisse consentaneum. Ex quo non sequitur Deum facere necessariò quicquid melius est, infallibiliter & ex morali necessitate. Huiusmodi sunt quæ Ruis refert ex Chrysof. hom. 30. in 1. ad Corinth. & Ambrosio in cõmentario c. 12. eiusdè epistolæ. Alia dicunt tantum omnes vniuersas partes conferre ad ipsius pulchritudinem: & Deum eius artificem ad id quod melius est omnia referre (quod verum est quatenus omnia ad seipsum velut ad vltimũ finem refert, & omnia certa ratione ac sapientia gubernat) fatendumquè esse nihil eorũ quæ accidunt, sine ratione & sapientia fieri: nihil esse eorũ quæ sunt, cui non sit bene prouisum ac specialiter Deum gerere curam hominum: eumquè sit potens omnia facere quæ vult, facere tantum quæ decent ipsius Deitatem. Ex quibus locis manifestum est non sequi quod intenditur ab Aduersario: Deum scilicet infallibiliter, atque ex morali necessitate facere quicquid melius est. Huiusmodi autem sunt quæ refert ex Nazianeno orat. 3. contra Iulian. n. 47. & orat. 16. post numerum 42. & orat. 34. cõ. Iul. n. 19. Nyssen. lib. de opificio homin. c. 22. ferè initio. Basil. homil. 9. hexam. & in c. 2. Isaia, Clemente Alexand. lib. 7. Stromat. Theodore, lib. 6. de græc. affectione, & Epiphani. hæresi 70. Alia pauca quæ præter ista citantur ab eodè Auctore, sunt ferè omnia euidenter exaggeratoria. Vt si aiunt non potuisse Deum abstinere à mundi creatione, ab Incarnatione, ab hominũ predestinatione, sine vitio inuidiæ, & quia si non esset Deus: cessaretquè esse Deus, si cessaret benefacere. Nonnumquam enim contigit sanctis Patribus vt disputantes contra hæreticos, ad alterum extremum aliquantum deflecterent: vt in homilijs D. Chrysof. cõtra Anomæos, & quibusdam alijs eorum tractatibus videre est. Vel simpliciter rem afferunt absquè vlla traditione: eo solo scilicet quod rationi naturali illud sibi videatur esse conformius: quod iudicium paucorum est, & postponendum contrario melioribus argumentis innis.

Augusti

Damasceni
Basilii.

Chrysof.
Ambrosii

Nazian.

Nyssen.
Basil.

Clemente
Alexand.
Theodor.
Epiph. n.

Secundò, opponit idem Auctor sect. 7. & 8. multa Patrum testimonia, quibus contra Manichæos, Marcionitas, Iulianum Apostat. & Aduersarium legum & Prophetarum, probant Deum sapienter omnia fecisse: & quæ nobis videntur esse noxia, vel minus conuenientia; fuisse ad magnas utilitates ordinata, & iuste permittenda, vel constituta. Nihilquè esse in Dei operibus, propter quod ipse repre-

46.

TINO
US
part
VI
U.

hendi iure possit. Quædam etiam fecisse specialiter tali modo, ut conuenienti alius non fuerit: tunc æquali facilitate aliud modum adhibere poterit: ut de Incarnatione specialiter dicit S. August. lib. 13. de Genesi ad litteram c. 10. Quædam denique fecisse, quæ meliora sunt, quam ipsorum opposita: ut v. g. fuisse rationabilis, homini post peccatum, inferre dolores & mortem, id est, eum constituere, propter peccatum, in eorum statu, in quo secundum suam naturalem conditionem esse debebat, eumque doto immortalitatis, & alijs bonis supernaturalibus spoliare. Sapienter denique propter multas utilitates permittere homines tentari à dæmonibus. Christum non statim post Adæ peccatum misisse: non abstinuisse à creandis hominibus & Angelis ob præcitam conditionem eorum malitiam: aliaque id genus: ex quibus impossibile est apte deducere id quod Aduersario probandum est: Deum scilicet infallibiliter & ex morali necessitate facere: quæper quicquid melius est. Quare necio tanta testimoniorum congerie moueri debet, quæ bene expensa apparent inutilia.

45
Soluuntur
rationes
contrariæ
sententiæ.

Eiusdem generis sunt quæ tertio loco opponit sect. 10. & quinque sequentibus, quæ sine ratio referri non possent, & refutari. De illis autem, ex ijs quæ iam diximus, potest facile iudicari. Sectione verò 16. hanc rationem obijcit: Quælibet voluntas inclinatur magis ad volendum efficaciter illud obiectum, quod per simplicem affectum complacentiæ magis diligit: minus autem inclinatur quælibet voluntas ad volendum efficaciter obiectum, quod simplici complacentiæ minus diligitur. Sed bonitatem suam creatoris communicare, præcipue rationalibus, est obiectum Deo magis arridens simplici complacentiæ, magisque proportionata materia gaudij, quam eius oppositum: ad hoc igitur efficaciter volendum inclinatur magis diuina voluntas: vnde infallibiliter id vult. Deus enim nunquam resistit suæ maiori inclinationi. Quia inclinationis illius vehementia tanta est, ut infallibi-

liter alliciat: cumque sit rationabilissima; minus conueniens est, id est, non est conueniens (id enim est probandum Aduersario) Deum illi resistere: Addit sect. 17. nullum motium sufficiens potuisse proponi ab intellectu diuino, propter quod diuina voluntas respiceret maius bonum, & amplecteretur minus: sublatoque motiuo inuidiæ (quod est impossibile diuinæ bonitati) nullum restare motium sufficiens quod diuinam propensionem contineat, ne feratur ad illud, quod omnibus pensatis est rationabilis.

Ad primum Respondeo concessio toto argumento primo, nego consequentiã illi subiunctã, cum eius probatione. Nam illa inclinatio nullã vim infert diuinæ voluntati; sed quatenus se tenet ex parte illius, nihil aliud est, quam eius affectus suauissimus & placidissimus circa obiectum possibile, non impo- ter illam trahens, qualis solet esse nostra inclinatio, quãdo vehemens est: sed tendens modo sibi conuenienti in suum obiectum, cumque nullius rei creatæ indigeat, non fertur necessariò ad illas efficaciter amandas aut producendas. Essetque minus Deo conueniens ita ferri, atque à sua inclinatione tam impotenter trahi, ut moraliter non posset oppositum.

Ad secundum Respondeo motiuum sufficiens esse exiguitatẽ boni illius creandi, Deo comparati, & non indigentiam illius respectu Dei. Hinc enim fit ut Deus conuenienter possit liberrimè ab omnibus bonis creatis efficaciter amandis & producendis abstinere, ut diximus initio sectionis 4. Porro quod hucusque diximus, Deum nõ velle necessariò creaturas efficaciter, intelligendum est de voluntate antecedenti & absoluta. Neque enim negamus Deum velle aliqua necessariò consequenter ex aliqua hypothesi: puta velle implere quæ promisit, aut facere ea quæ prædixit se facturum: Deus enim fidelis est, & seipsum negare non potest, ut dicitur 2. Timoth. 2. v. 13. estque impossibile Deum mentiri, ut ait Apostolus. Hebr. 6. v. 18.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA

De actibus liberis diuinæ voluntatis.

Section I. *An sit in Deo liberitas, & circa quid?*

Section II. *An liberi Actus diuinæ voluntatis addant aliquid in re distinctum à Deo?*

Section III. *An actus liberi addant aliquam perfectionem Deo intrinsecam, ratione saltem distinctam?*

Section IV. *Expenduntur tres explicandi modi supra relati; & probabilior sententia defenditur.*

Section V. *An omnes actus liberi diuinæ voluntatis sint ab æterno, & sint immutabiles?*

Section